

Universitätsbibliothek Wuppertal

**Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria,
Historica, Critica**

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Dedicatio ex prima editione Lexici Timaei

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

<urn:nbn:de:hbz:468-1-1660>

DEDICATIO

EX PRIMA EDITIONE

LEXICI TIMAEI.

PLURIMUM REVERENDO ATQUE ERUDITISSIMO

VIRO,

HENRICO GALLY, s. t. p.

CANONICO NORWICENSIS ET GLOCESTRIENSIS, RECTORI

SANCTI AEGIDI IN CAMPIS, MAGNAE BRITAN-

NIAE REGI A SACRIS, ETC.

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Quadriennium prope est, cum Joannem Alberti,
V. C. tum gravi morbo misere afflictum, pro arctissi-
ma, quae mihi cum eo intercedit, necessitudine ad
Fontes Spadanos comitarer. Cujus itineris duplēm
uberrimumque fructum me cepisse, non medioeri cum
voluptate recordor. Nam primum, quid jucundius
magisque exopiatum esse poterat, quam carissimum
Musis animoque meo hominem corporis vires, quas
atrox morbus abstulerat, salutarium aquarum usu
recuperare? Deinde, quanta in felicitatis par-
te me ponere existimas, ibidem notitiam faustis au-
spiciis inter nos esse contractam? Profecto nunquam
ille dies memoria excidet mea, cum casu et fortui-
to in Te incidens, ignotus in ignotum, nescio quem

de

DE

de literis nostris sermonem inferrem; tuque statim oculis, yultu, oratione eum laudatarum artium amorem ac peritiam proderes, nihil ut aequae ardenter cuperem, quam ad intimam Tuam, si fieri posset, consuetudinem et familiaritatem admitti. Ac facilem mihi aditum reddidit sive obvia humanitas Tua, sive morum studiorumque similitudo. Ex eo tempore nullus temere dies praeterit, quin, quoad licuit, in amoenissimis ad fontem Gerosteram xystis de divinis humanisque literis sermones inter nos haberemus. Tum vero in Te cognovi admirabilem quandam solidioris doctrinae copiam, nec vulgarem eruditio[n]is omnis, quae Graecorum Latinorumque libris continetur, scientiam. Inprimis admirabar acerrimam, qua praeditus es, vim judicandi, optimis scriptoribus legendis confirmatam; quam magis etiam perspicere licuit, cum superiore anno Batayiam nostram invisens, per aliquot dies apud nos commorarere. Quid autem dicam de singulari[T]o de literis praeclare merendi studio, in quo Tibi conferre possum paucissimos, anteponere certe neminem? Non est, quod hujus rei argumenta repetam altius. Vel hunc Timaeum testem cito, quem, nullo merito meo provocatus, cum Parisiis ageres, ex bibliothecarum latebris protractum, et quam fieri poterat accuratissime descriptum, mihi edendum concessisti. Ac tantum abest, ut hic aut studium literas iuvandi Tuum, aut erga me liberalitas defecerit, ut subinde alias veteris aevi reliquias, tam ex Tua, quam ex publicis Angliae bibliothecis depromptas, non mihi tantum, sed et amicis meis, earumdem literarum amore captis, prolixe suppeditaris. Plurimum sane

ornamenti aliquando Tibi debebunt Herodotus, Orpheus, Phalaris, aliique. Ego vero cum nihil aliud habeam, quo tot tam luculenta, quae in me contulisti, beneficia remunerer, Tuum Tibi remitto Timaeum, mea qualicunque cura expolitum. Hunc igitur explicata fronte, velim, accipias, Tibique persuadeas, neminem esse, vel unquam fore, qui liberalitatem Tuam aut gratiore animo prosequatur, aut libentius crebriusque dilaudet. Vale. Dab. Lugduni Batavorum, Kalendis Maji, MDCCLIV.